
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Sentencias*

Prot. n. 47893/13 CA

N.

Excardinationis

(Rev.mus X – Congregatio pro Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno III, die 25 maii 2015, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Atilio Card. Nicora, Leonardo Card. Sandri, Ludovico Card. Martínez Sistach atque Exc.mo et Rev.mo D.no Antonio Stankiewicz, *Ponente*, et intervenientibus Rev.do P. Zbignevo Suchecki, O.F.M. Conv., utpote Rev.mi Recurrentis Advocato-Procuratore, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis, atque Rev.mo D.no Paulo Malecha, Promotore Iustitiae Substituto, hanc definitivam tulit sententiam.

I. Facti species

1. Cum Rev.mus X, presbyter dioeceseos N. ab Exc.mo Administratore dioeceseo die 22 februarii 2007 dimissus esset ab officio Moderatoris operae assistentiae, quae Caritas dioeceseana nuncupatur, propter assertam malam rerum temporalium gestionem, novo Episcopo dioeceseo, Exc.mo Y, excardinationis voluntatem pluries manifestavit. Inde ipsemet adscriptionis causa alii Ecclesiae particulari sollicitus, binis litteris eodem die 23 iunii 2012 proprio Marte datis, bina quoque requisita ad hunc finem iure imposita (cfr. can. 267 § 1) obtinere conatus est. Ita enim suum optatum sese incardinandi dioecesi W Exc.mo Episcopo Z, praefatis litteris significavit, a proprio autem Episcopo Exc.mo Y, pariter memoratis litteris concessionem excardinationis expostulavit.

Postquam Exc.mus Episcopus W litteris diei 25 iunii 2012 suum assensum incardinandi Rev.mum X significaverat Exc.mo Praesuli N., hic vero litteris diei 28 iunii 2012 efflagitam excardinationem presbytero suo denegavit propter actuale pergraveque rei eventum ex remotione eius exortum ab officio Moderatoris dilaudati Instituti dioeceseani, atque propositum transmigrandi in dioeceseim W, iam prius ei delatum, renovavit.

2. Sed Rev.mus X ut primum operationis remonstrations die 5 iulii 2012 Exc.mo Episcopo N. propositae exoptatam mutationem praecedentis decisionis non obtinuit, die 9 augusti 2012 recursum hierarchicum ad Congregationem pro Clericis interposuit.

Aditum Dicasterium, partium allegationibus ac defensionibus perpensis,

die 21 februarii 2013 legitimitatem impugnatae decisionis agnovit eamque ratam habuit et dispositiones Rev.mo Recurrenti propositas ab Ordinario N. observandas decrevit.

Adversus decisionem Congregationis pro Clericis Rev.mus X recursum contentiosum administrativum ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal die 29 aprilis 2013 detulit, ex postulando excardinationis ex dioecesi N. concessionem.

Recursum autem Rev.mi Recurrentis, in Congressu coram Em.mo Card. Praefecto die 11 maii 2014 habito, ad disceptationem coram Collegio Iudicum admissus est. Deinde, dubium die 21 maii 2014 concordatum est hac sub formula: An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 21 februarii 2013 latum.

Acceptis memorialibus utriusque partis Patronorum et voto pro rei veritate Promotoris Iustitiae Substituti, nunc Nobis praefato dubio respondendum est.

II. In iure

3. Incardinatio presbyterorum alicui Ecclesiae particulari, ne acephali seu vagi evadant (cfr. can. 265), in luce doni spiritualis in sacra ordinatione recepti, eos ad limitatam quandam missionem non coarctat, sed aperit quoque “ad amplissimam et universalem missionem salutis ‘usque ad ultimum terrae’ (Act 1,8)” (CONC. OEC. VAT. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, 10).

Haec tamen universalis connotatio ministerii presbyteralis intime cohaeret

cum eius naturali dispositione ad Ecclesiam particularem. Nam “ministerium ordinatum, vi ipsius naturae tum tantum modo impletur cum presbyter, Christo coniunctus, perstat per insertionem sacramentalem in ordinem presbyteralem, id est, quatenus in communionem hierarchicam remanet cum proprio Episcopo” (IOANNES PAULUS II, Adh. ap. *Pastores dabo vobis*, 17).

Ea de causa pro omni presbytero “inscriptio et dedicatio in servitium cuiusdam Ecclesiae particularis” valorem spirituales habet, quia incardinatio “non vinculum dumtaxat iuridicum constituit, sed habitudines et optiones spirituales et pastorales secum fert”, quibus “eius tum pastoralis missio tum vita spiritualis conformetur” (*ibid.*, 31). Incardinatio enim presbyteri est naturalis effectus sacrae ordinationis, quae per manum Episcopi deputat eum ad sacrum ministerium in Ecclesia particulari exercendum, in cuius servitio “presbyteri unum constituunt cum Episcopo presbyterium” (*ibid.*, 17).

4. Quamvis incardinatio presbyterorum certis dioecesibus non sit elementum primigenium missionis Ecclesiae, sed ad structuras ecclesiales tantum pertinet ex loci et temporis exigentiis exortas ad sustinendam ordinatam operam evangelizatricem, nihilominus tamen eorum adscriptio Ecclesiis particularibus communionem hierarchicam cum propriis Episcopis roborat atque stabiliorem et profundiorum reddit eorum vitam spirituales et ministerium pastorale inter christifideles eis creditos, quod merito vocatur “amoris officium”, pascendi nempe “dominicum gregem” (S. AUGUSTINUS, *In Iohannis Evangelium Tractatus*, 123,5).

Leges autem canonicae perveteri instituto incardinationis clericorum moderantes (cfr. cann. 265-272), congruenter ecclesiologiae communionis Concilii Vaticani II et exigentiis pastoralibus exortis ex hominum nostri temporis mobilitate et penuria presbyterorum in variis mundi plagis, faciliorem reddunt mutationem eorum adscriptionis alicui Ecclesiae particulari, potissimum vero “ubi bonum Ecclesiae id postulet” (cfr. Communicationes 3 [1971] 190).

5. Iamvero, in ambitu legitimi transitus presbyteri ab una ad aliam Ecclesiam particularem, vigentes in praesens leges in primis cavent de expressa excardinatione per litteras a proprio Episcopo dioecesano subscriptas (cfr. can. 267 § 1), quae tamen effectum sortitur incardinatione modo obtenta per litteras incardinatorias pariter subscriptas ab Episcopo dioecesano alius Ecclesiae particularis (cfr. can. 267 § 2). Insuper leges canonicae tacitam quoque excardinationem prospiciunt, quae consequitur incardinationem ipso iure adeptam a presbytero in alia Ecclesia particulari, transacto nempe quinquennio post legitimam inibi transmigrationem, si intra quattuor menses a scripta declaratione voluntatis incardinatoriae uterque Episcopus mentem suam seu intentionem scripto non manifestaverit contra illius voluntatem adscriptionis Ecclesiae hospiti (cfr. can. 268 § 1).

Qua in re tamen “necesse est ut Ordinarii sive a quo sive ad quem mentem suam modo certo et definito exprimant, ne incertae res diu maneant et practice habeantur vel clerici vagi (qui iure prohibentur) nulli Superiori subditi, vel clerici de suo statu numquam securi” (sent. def. coram Felici diei 27 iunii

1978, in *Communicationes* 10 [1978] 154).

De cetero, Episcopus dioecesanus presbyteris paratis aptisque ad sacrum ministerium exercendum apud regiones gravi pastorum inopia signatas, licentiam concedere potest ad aliam Ecclesiam particularem trasmigrandi ad tempus praefinitum, etiam pluries renovandum, manente tamen propriae Ecclesiae particulari incardinatione, atque firmis omnibus in eadem iuribus in casu reditus (cfr. can. 271 §§ 1-2). Ut cumque presbyter a proprio Episcopo dioecesano iusta de causa revocari potest, servatis tamen conventionibus cum altero Episcopo initis atque naturali aequitate. Pariter sub iisdem condicionibus etiam Episcopus dioecesanus alterius Ecclesiae particularis iusta de causa poterit presbytero licentiam ulterioris commorationis in suo territorio denegare (cfr. can. 271 § 3).

6. Similiter ac sub veteris Codicis disciplina, in praesentiarum quoque Episcopus dioecesanus dimittens est pariter “iudex competens causarum” seu rationum expetitae a presbytero excardinationis.

Iamvero, excardinatio licite concedi potest “iustis tantum de causis, quales sunt Ecclesiae utilitas aut bonum ipsius clerici” (can. 270). Quapropter concessionem excardinationis suadere potest tum utilitas Ecclesiae universalis potissimum in terris missionum, tum Ecclesiae particularis presbyterorum exiguitate affectae. Bonum autem presbyteri indolem magis subiectivam retinet eiusque statum valetudinis respicere potest, condicionem familiarem vel ethnicam.

Sed excardinatio denegari potest presbytero dumtaxat “exstantibus gravibus causis” (can. 270). Insuper “licet tamen clerico, qui se gravatum censuerit et Episcopum receptorem invenerit, contra decisionem recurrere” (can. 270), quia Ecclesiae utilitas et bonum clerici assurgere possunt ad ius petendi nempe excardinationis concessionem.

Rationes autem seu motiva decisionum, quae de reiectione petitionis excardinationis conferant, “saltem summarie” (can. 51) a competenti Superiore praefiniri debent (cfr. decr. def. coram Agustoni diei 4 maii 1996).

III. In factis

7. Obiectum recursus contentiosi administrativi, hac in causa propositi a Rev.mo X, est decretum Congregationis pro Clericis die 21 februarii 2013 prolatum, quod decisionem Exc.mi Episcopi N. diei 28 iunii 2012 legitimam habuit eamque confirmavit ac statuit “che il ricorrente accolga le disposizioni del Suo Ecc.mo Ordinario”.

Binas enim dispositiones Exc.mus Episcopus N. in sua decisione renovavit atque Rev.mo Recurrenti significavit, videlicet denegationem excardinationis et propositionem transmigrandi in dioecesim W, etiamsi per errorem obstativum litterae ab eius subscriptae mendose praescriptum can. 277 § 1¹ adducant.

¹ Efectivamente el can. 277 § 1 habla del celibato (can. 277 § 1. Clerici obligatione tenentur servandi perfectam perpetuamque propter Regnum coelorum continentiam, ideoque ad coelibatum adstringuntur, quod est peculiare Dei donum, quo quidem sacri ministri indiviso corde Christo facilius adhaerere possunt atque Dei hominumque servitio liberius sese dedicare valent). En su lugar debería haberse citado el can. 267 § 1.

Sed iuxta antiquorum prudentiam error quoad numeros, prout “error calculi non nocet”, quia “praeiudicium veritati” generatim non affert (cfr. D.49,8,1,1; CI.2,5,1), servata evidenter legis applicandae substantia. Idque valet etiam pro decisione Congregationis pro Clericis, quae in gradu superiore perperam quoque praescripti can. 272² mentionem fecit.

Animadvertendum est tamen denegationem excardinationis, ab Exc.mo Episcopo N. emissam, non fuisse absolutam, sed relativam tantum seu condicionalem, quia alii eius effectus pendebant a reiectione licentiae transmigrandi in dioecesim W, alii vero ab acceptatione huius propositi. Receptio enim propositi transmigratorii a Rev.mo Recurrente, secundum declarationem Exc.mi Praesulis N “sarebbe l’inizio del processo di escardinazione/incardinazione”.

Hoc igitur sensu intellegi debet propositum transmigrandi in dioecesim W, quod Exc.mus Episcopus in praefatis litteris hisce verbis manifestavit: “Informo nuovamente, che la mia proposta per il trasferimento alla Diocesi di W è sempre valida”. Immo, Exc.mus Ordinarius N declaravit se paratum esse “in conformità al can. 271 § 1 [...] a firmare una adeguata convenzione, in cui si stabilisce il tempo del trasferimento, con eventuale reiterato prolungamento”.

Quae cum ita sint, sub hoc respectu de contradictione irrepta in decisionem Exc.mi Praesulis N., sicut quidam advertunt, sermo fieri nequit, cum talis

² Can. 272. Excardinationem et incardinacionem, itemque licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi concedere nequit Administrator dioecesanus, nisi post annum a vacatione sedis episcopalis, et cum consensu collegii consultorum.

obiectio rationem non habeat indolis condicionalis denegatae ab eo excommunicationis.

8. Ad excommunicationem licite concedendam, sicut iam superius indicatum est (cfr. n. 6), *iustae causae* requiruntur, inter quas Legislator duas tantum in can. 270 percenset, scilicet utilitatem Ecclesiae et bonum ipsius clerici.

In casu hucusque disceptato utraque causa, iuxta aliquos, plenam obtinet fidem. Idem tamen admittere coguntur quod *utilitas Ecclesiae*, attento quod dioecesis W. inopia presbyterorum non laborat, solummodo “praesupponi potest” ex declarata voluntate Exc.mi Episcopi Z. recipiendi nempe Rev.mum Recurrentem in suam dioecesim.

Itemque *bonum clerici* seu Rev.mi Recurrentis pro concedenda excommunicatione inveniri dicitur “in eius conditione hodierna lamentabili in dioecesi N.” ubi “in parva paroecia commoratur, in precariis condicionibus et variis angustiis vexatur haud dignis pro quocumque sacerdote”; habitat enim “in aula catechetica paroeciae, balneis pensilibus aliisque servitiis sanitariis carente”. Insuper ipse Rev.mus Recurrens conqueritur quod “dal momento della sua rimozione da Direttore della Caritas non è stato né assicurato e non può usare l’assistenza sanitaria”. Denegatio autem excommunicationis, iudicio Recurrentis, “provoca a me un danno particolarmente doloroso, discriminandomi come sacerdote e uomo [...], causandomi una minaccia al bene spirituale”.

Quamvis iuxta relationem Exc.mi Episcopi de N. condiciones vitae Rev.mi Recurrentis lamentabiles ac lugendae non sint, tamen eius declarationes omni vi probatoria carentes aliqui

habent, quia Episcopus “nullum documentum ad rem adduxit”. Attamen heic agitur de rebus ex officio gestis ab Episcopo dioecesano (cfr. can. 1573), quippe qui in casu expetitae excardinationis a suo presbytero ipse tantum iure competens sit praebendi de illius “vita, moribus ac studiis opportuna testimonia” (cfr. can. 269, n. 2), quae igitur vim probatoriam retinent, nisi contrarium probetur.

9. Perstat demum vexata quaestio de necessitate *gravium causarum* ad denegandam excardinationem, de quibus praescriptum can. 270 sequentibus verbis expresse cavet: “denegari autem non potest nisi exstantibus gravibus causis”.

Gravitas tamen causae ad denegandam excardinationem non pendet ab explicita mentione huius termini in textu decisionis, sed a gravitate ipsius facti inducentis Episcopum dioecesanum ad capiendam deliberationem contrariam expostulatae excardinationi. Gravitas autem facti fundari debet in elementis obiectivis, ne decisio Superioris arbitraria mente feratur in damnum veritatis et iustitiae.

Verumtamen factum id generis Exc.mus Episcopus Y. significavit Rev.mo Recurrenti in decisione diei 28 iunii 2012, in lucem proferendo eiusdem presbyteri “attuale situazione” post dimissionem ab officio Moderatoris Instituti, quod Caritas dioecesana nuncupatur, habita nempe ratione assertae eius gravissimae responsabilitatis civilis et poenalis potissimum in foro saeculari.

Haec motiva ab Exc.mo Praesule litteris diei 11 decembris 2012 ad Congregationem pro Clericis delata sunt,

quae recepit ea in suum decretum diei 21 februarii 2013 ad confirmandam decisionem episcopalem, tamquam “le giuste motivazioni e indicazioni sufficienti per la Decisione del Vescovo, con la quale non vuole concedere l’escardiazione al Rev.do Mons. X, dalla Diocesi di N.”.

10. Re quidem vera, ex brevi motivorum resumptione clare consequitur quod agitur de gravibus motivis denegatae excardinationis. Nam “[l]a faccenda della Caritas della Diocesi di N. e del suo ex-direttore, secondo la legislazione B, è ancora in corso. Essa è presente nei mass-media e suscita interesse sia tra i sacerdoti che tra i fedeli. Si può supporre, che al momento della pubblicazione da parte della Procura dell’accusa contro il Rev.do X, essa diventerà più clamorosa. In tale momento l’escardiazione del Rev.do X della Diocesi di N. sarebbe male accolta, sia dai sacerdoti che dall’opinione pubblica”.

Sed Rev.mus Recurrens haec motiva vocat “scandalosa, perché ignorando le rigorose prescrizioni del diritto canonico, si riferisce alla risonanza mass-mediaica”, dum ipse se innocentem esse proclamat atque promptum ad tuendum “il mio buon nome e la mia dignità”.

Utrumque Rev.mus Recurrens possibilitatem habet sese defendendi in foro civili et poenali rei publicae quod spectat ad suam responsabilitatem civilem et poenalem pro tempore gestionis Instituti, quod Caritas dioecesana vocatur.

Quod autem spectat ad mediorum communicationis socialis activitatem, etiam clerici tamquam cives societatis civilis conscii esse debent periculi divulgationis potissimum nefariae agendi ra-

tionis, eo vel magis quia “informatio per media est in servitium boni communis” et “societas ius habet ad informationem fundatam in veritate, libertate, iustitia et solidaritate” (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 2494).

11. In disceptatione de gravitate causarum denegatae excardinationis, post decretum Congregationis pro Clericis plures notitiae de sententiis Tribunalium civilium et poenaliuum Reipublicae B delatae sunt ad H.A.T., quibus gravitas positionis ecclesialis et socialis Rev.mi Recurrentis nondum definitive diiudicata apparet.

Rebus sic stantibus, utilitas Ecclesiae particularis et bonum ipsius clerici hac in rerum condicione suadent potius ut Rev.mus Recurrens propriae dioecesi N. incardinatus maneat saltem usque ad exitum definitivum causarum nondum definitive solutarum in foro rei publicae.

IV. Conclusio

12. Omnibus in iure et in facto mature perpensis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Negative, seu non constare de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 21 februarii 2013 latum.

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Recurrens suo Rev.do Advocato-Procura-

tori atque Auctoritas ecclesiastica suae Cl.mae Patronae congruum solvant honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 25 maii 2015.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

Atilius Card. NICORA

Leonardus Card. SANDRI

Ludovicus Card. MARTÍNEZ SISTACH

✠ Exc. mus D.nus Antonius STANKIEWICZ, *Ponens*

Et notificetur

Die 8 iulii 2015

Ioannes Paulus MONTINI, P.I.
vices Exc.mi Secretarii agens

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ,
m.g.
Moderator Cancellariae